Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Memoria posthuma matronae ... [Trauergedichte auf Elisabeth Wencker, geb. Berchtold, Gemahlin des Altammeisters und Dreizehners in Straßburg Johann Wencker, gest. 5. September 1666]

Wencker, Elisabeth

Argentorati, [1666]

urn:nbn:de:bsz:31-110206

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

42 A 1932,15

RH

Nr 3: Copinger 2152
WR 283
Nr. 4: WR 284
Nr. 5: WR 285

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# MEMORIA POSTHUMA
# MATRONAE,

*Præ-Nobilis & Virtutum omnium Coronâ*
*Splendidissimæ,*
Dominæ,

# ELISABETHÆ,

è Spectatissima BERCHTOLDORUM
Familia oriundæ,
*VIRI quondam*
*Magnifici, Nobilissimi atque Prudentissimi,*

## DN. IOHANNIS WENCKERI,

Consularis, Tredecimviri & Scholarchæ, de
patriâ Argentoratensi Republ. præclarè meriti
relictæ VIDUÆ,
*Ipsis nonis Septembribus Anni* 1666. *ex hâc mortalitate ad beatiorem vitam evocatæ cùm vixisset annos septuaginta tres,*
erecta à
*WENCKERIANI*
Nominis Cultoribus & Amicis.

*ARGENTORATI,*
Typis Johannis Friderici Spoor.

25
9.98

AD Dominumque, DEumque redit,
pietate, fideque
Constans in Dominum atq; DEum,
Matrona beata.
Amplis exornata bonis dum viveret, atque
Summis exornanda bonis, quia vivere cœpit
Cum Domino atq; Deo, jam terq; quaterq; beata.
Ex saturata bonis amplis, vitæque diebus
Multis, & splendore domus, & pace quieta.
His tamen haud confisa bonis, Dominumque
Deumque
Prætulit, obtinuit votum, æternumque fruetur.
Sed lugent Patriæ Patres, servabis JESU
Hos Patriæ salvos, fortesque tuere columnas.

*Condolentiæ, & submissæ erga Amplissimam Domum observantiæ causa*

Isaacus Faustius, SS. Theol. D.
ejusdemque P. P. Ord. & Ecclesiast.
Collegii Theologici p.t. Decanus.

---

*CONquaßata domus WENCKERI A morte nec unâ,*
*Uno nec morbo, tamen in radice manebit:*



28

*Vt truncata licet, revirescit lætius arbor.*
*Intereà cœlos dum complet prolibus, & se,*
*Sortitur MATER, matrum ipsa corona, coronam.*

Condolentiæ testandæ gratiâ ascripsit

*Joh. Conr. Dannhauer, D.*

---

*FElicem in mundo hoc mortalem reddere possunt,*
*Anni, conjugium, gloria, liberi, opes;*
*Post, inquam, veram Cœlum erga Relligionem,*
*Sed quis ad humanæ hæc culmina sortis abit?*
*Contigit id tibi, quod paucis, Wenckeria mater:*
*Felix in vitâ diceris ergò tuâ.*
*Extremum accedit quoq;, quod decus omne coronat:*
*Annoso senio mors venit æqua tuo.*

Ult. honor. E.
f.

*Sebastianus Schmidt, S. Th. D.*
P. Ord. & Ecclesiastes.

---

Nobilissimæ Matronæ
*Suæ quondam Hospitæ beneficentissimæ, nunc desideratissimæ:*

HOspita, pro meritis, quod debeo, suscipe carmẽ
Carmen, Alumna, tibi pignoris instar erit:
(Nam fidei, Patrona, tuæ meminisse juvabit,
Donec in hoc nostro spiritus ore sonat.)

Ipſe cliens quondam, Tu fida clientis Alumna,
Et mea tot meritis altera mater eras.
Ergo, fatebor enim, primas quod ducimus auras,
Debemus matri, prolificante Deo;
Sed benè quod vitæ melioris ducimus auras,
Hæc, moderante Deo, gratia ſola tua eſt.
Sic ſolet infelix alieni debitor æris,
Pro nummis Domino reddere verba ſuo;
Scripta tamen fidei manſuræ vincula, donec
Debitor in Domini manſerit ære ſui:
Ut nos pro meritis (quæ multa & magna) libellum
Scribimus, & Dominæ pignus inane damus;
Pignus inane quidem, ſi nos tibi reddere velles
Debita, tot meritis accumulata tuis;
Attamen affectu plenum, qui credita ſaltem
Ore manuque ſua confiteatur, erit.
Accipe porrectum, nec erit, puto, pignus inane,
Si noſtro dederis ſcripta legenda Deo;
Namque Deus, qui dives opum, diſpungere novit
Nomina, diſpunget hic quoque noſtra Deus.
Ipſe, Beata, Tibi dulciſſima præmia reddet:
Qui vel frigidulæ pocula penſat aquæ.

*Symbolum*

Baltaſaris Bebelii, S. Th. D.
P.P. & Eccleſiaſtis.

*Ceu*

*CEu qualicunq; latior se ponderi*
*Offert resurgens palma, flecti nescia;*
*Sic WENCRIANÆ clara gens prosapiæ*
*Devincit omnem sortis inclementiam*
*Majore nisu. Nuper obstinata mors*
*Neptes rapuerat lacteosque Nepotulos:*
*Placata minimè Parca multis surculis*
*Invasit ipsam stemmatis propaginem,*
*Ramum cecidit floridum ferâ manu.*
*Nunc alta radix, Avia nobilissima*
*Effertur. Eheu! quantus imber ingruit*
*Uno impetu! sed ipsa stirps tantò magis*
*Progerminat, dum fata dura cælitum*
*Fert Christianâ fortiter prudentiâ.*
*Imbellis anime! disce tot speciminibus,*
*Virtus acerbo quòd virescit vulnere.*

Debit. condol. ergò f.
*Gerardus v. Stökken/*
*V. I. D. & P. P.*

---

*Memoriæ & Honori*

# MATRONAE,

Omnibus laudum exemplis Ornatissimæ,
*Magni nuper Consulis, Tredecimviri, Scholarchæ*
JOHANNIS VVENCKERI, Viduæ piissimæ.

MAtrona singularis exempli fuit,
Cui iusta, pietas nunc facit superstitum,

Seu metiaris moribus, ſeu munere
Modoque fortunæ: cui nil defuit
Beatior quo vita cenſeri ſolet.
Formæ venuſtas, Gratiarum ſuauitas,
Genus, pudicum pectus, & ſolertia:
Hæc *Virginem* inter Virgines clariſſimam
Cælo ferbant: hinc ſecuta *Coniugis*
Bonæque *Matris*, digna laude nomina.
Hæc educauit *nupta Magno Conſuli*
*Prolem* vtriusque nobilem ſexus bonis.
Viditque *Filium* inter Vrbis principes
Florere; quo vocabat *alterum* quoque
Præclara virtus; ni decus perennius
Paucis diebus ante donaſſet Deus:
Spem ſuſtinente *Tertio* viſam eripi.
Ex *Filiabus*, *Conſulum* domos *Duæ*
Auxêre, *Patriæ* celebrat quos *Patres*
Reſpublica: ac in *inclytis* cluent *Viris*
Qui *ceteras* duxere coniuges domum.
Dotes *Nepotum Neptiumq;* prodere,
Longum eſſet. Inter iſta viuere & mori,
Felicitas plena eſt: Deo ſi gratia,
Deo voluptas ſi refertur muneris
Tam copioſi: ſicut ipſa ſueuerat

Matrona

Matrona nostra, quæ Deo vixit, Deo
Vivet beata cum beatis omnibus.

*Inclytæ Familiæ obseruantissimus scr.*

Joh. Henr. Bœclerus.

---

In obitum

*Nobilissimæ, omniq; Virtutum laude celebratissimæ*

*MATRONAE*

DN. ELISABETHAE VVENCKERIAE.

*TAndem decessit* VVenckeri Consulis *uxor*
*Quondam uxor tanto conjuge digna satis.*
*Sed prius haud una decessit morte perempta,*
*Quæ nimis heu! raptim multiplicata fuit.*
*Vivere desierat jam tum Matrona, beati*
*Parte thori infelix cum viduata fuit.*
*Mortua & ipsa fuit, quoties vel turbine fati*
*Filius implicitus, vel fuit ante nepos.*
*Mortua jam toties alienis mortibus una,*
*Postremum jacet & mortua morte sua.*
*Atque hæc tot mortes omnes mors una priores*
*Extinxit pariter, fecit & esse nihil.*

Observantiæ ultimique honoris ergò scripsit

*Samuel Schallesius.*

---

QUis mihi, quis Divum, gemitus & tristia donet
Carmina, queis pręceps dirę truculentia mortis
Nunc mihi defleri possit! nam si dolor ipsus
Adsit, vel threni semper lachrymabilis autor

Melpo-

Melpomene, dignos poterunt vix fundere fletus.
Ecce cui binas neptes, totidemque nepotes,
Ante dies paucos rapuit vis improba fati;
Conditus & tumulo cujus modo Natus; Eandem
Nunc ſopor altus habet mortis; nunc fata voca-
Triſte quidem reliquis fatum; ſed lætius illi. (runt.
Nunc etenim in cœlis ſummam ſuper axe ſalutē
Poſſidet æterni per Chriſti vulnera partam.
Propterea cedat luctus; lachrymæque recedant,
Quodque Deo placuit conſtanti mente feratur.

*Condol. obſerv. & honoris ergo app.*

M. Joh. Ludovicus Engelhardt.

---

QUi vanitatem hujusce mundi labilis
Omni die conſiderat,
Beatus is omnino prædicandus eſt,
Dignusque vitâ cælica.
Nihil nocere mors ei triſtis valet,
Quin potius illi januam
In luminoſa pandit arcis culmina.
Cor ergo cujus occupet
Mors atra, qui poſthac Deum viſurus eſt,
Et Angelorum omnem Chorum?
Id quod dies noctesque ſenſit rectius
Matrona ter beata nunc,
Exire vitâ ſæpiusque optaverat,
Et intuerier DEum.
Nunc gratulemur ergo de cœleſtibus,
Quibus fruetur, gaudiis,
Matrona caſta, caſſa vitâ lubricâ
Vitamque adepta perbonam.

*Ex debito appoſuit*

Johannes Larizius.

FINIS.

BIBLIOTHECA ROSENHEIMENSIS

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

26. MRZ. 1962

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg